

Latitudines quinque planetarum certis diebus atque  
horis determinare. Canon X.

**L**atitudines quinque planetarum, Saturni, Iouis, Martis, Veneris, & Mercurij in ephemeridibus ad diem 1. 10. & 20. in gradibus & minutis in calce chartæ sinistrae sub quolibet quinque planetarum caractere conspicies. Pars autem latitudinis, & eius tota habitudo per binas literas, quas singulae planetarum columnulae in capitibus gestant, his nempe duabus S. A. Septentrionalibus ascendens: S. D. Septentrionalis descendens planeta insinuatur. Sic M. D. Meridionalem descendentem, & M. A. Meridionalem ascendentem significant. Quod si certam & finitam planetae latitudinem ad quemuis diem mensis habere uolueris, duarum latitudinum immediate conscriptarum differentiam elice, quam per dierum intercadentium numerum diuidas, sic enim exibat in quotiente, quantum pro quolibet die latitudinis eiusdem planetae addendum, uel minuendum ueniat, ut Astronomica postulat ratio. Verum si in columnula cuiuspiam planetae litera S. uel M. occurrerit: tunc pars latitudinis eiusdem planetae uariatur. Si autem A. uel D. tunc ascensus uel descensus uariatur, secundum literae significationem. Quod si in diebus intercadentibus, hoc est ab 1. in 10. uel à 10. in 20. uel etiam à 20. in 1. mensis sequentis pars latitudinis uariatur, tunc die quo uariatur, latitudo nulla est planetae. Et si ante diem istum, aliquo intercadente die latitudo quaeritur, tunc differentia erit talis, qualis circa proximum diem expressum ante uariationem signatur. Ita quoque fit aliquo die intercadente sequente, quia etiam numerandus est à die, qua paulò ante latitudo uariatur. Si porro horarium uis, consule canonem sextum huius.

Aspectus planetarum ad Lunam, ac aliorum  
inter se explorare. Canon XI.

**I**n dextra ephemeridum facie, sub caractere Solis, & cuiuscunque planetae, characteres aspectuum, quos Luna cum eodem planeta habet hora adiecta comperies, qua aspectus ipse continget. At coniunctionis, oppositionis, & quadraturae luminarium cum caeteris planetis polentiores uires habeant, non modo horarum, uerum etiam minorum numerus est annexus. In eadem etiam facie, dextram uersus, extra planetarum columnas, si qui planetarum aspectus inter se, & Solem contingunt, & coitus capitis ac caudae cum Luna explicantur.

Tempus uerum cuiuscunque coniunctionis, aut oppositionis,  
aut quadraturae luminarium, ad quemuis meridianum definire. Canon XII.

**P**rima numerorum linea, in parte ephemeridum dextra, dies mensis usualis superscripti continet, iuxta quam è regione characteres coniunctionis, oppositionis, aut quadraturae, cum duplici numerorum serie, sub Solis caractere posita, conspicies, quarum prima horas, minuta altera exprimit, quibus coniunctiones, oppositiones, aut quadraturae luminarium, ad certum meridianum, pro quo calculus ephemeridum factus est, contingunt. Si ad alium meridianum